

intra eius territorium Ecclesia nequat possidere latifundia, agros, etc. curandum est omnino, ut fideles alio modo convenienti donationes suas in ipsius favorem faciant, nulla autem bona immobilia in testamento Ecclesiae donent.

8. — In quolibet demum documento omnes, qui bona Ecclesiae administrandi curam aliquam habent, curent omnino formas legales observare, et tempore utili consilium superiorum et peritorum invocare; ne imprudentia aut negligentia qualicumque damnum patiantur bona et redditus Ecclesiae.

9. — Ut melius provideatur bonae administrationi confraternitatum, in quolibet loco, qui eleemosynas et oblationes fidelium recipiunt pro Ecclesia, pro stipendiis, pro festis celebrandis, etc. habeant libros rationum in quibus accepta et expensa accurate notentur; qui libri subiacent inspectioni et approbationi Episcopi, aut eius delegati. Pecuniae autem conserventur in arca claudenda tribus clavibus, quarum unam parochus aut capellanus templi aut sacelli, alteram oeconomus (*Mayordomo*), tertiam conservet qui ab Episcopo custos arcae designatus fuerit.

SECTIO III.

DE SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS

TITULUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Christus Dominus pro mundi salute victimam se obtulit Patri, et sacrificium consummavit morte in cruce. Cum tamen homo duplici natura constet, spirituali et

corporali, voluit etiam Christus ut salus quam nobis meruit, per gratiam spiritualem ad animam transeat, sub signo tamen sensibili. Huiusmodi autem veluti salutis instrumentum vocamus *Sacramentum*; unde patet tria ad Sacramentum requiri: gratiam spiritualem, signum sensibile, institutionem a Christo factam.

Pro diversa hominum conditione varia etiam sunt Sacramenta: Baptismus primum et ianua caeterorum, ex filiis irae facit homines filios gratiae, fratres Christi et cohaeredes eius in gloria, subditos Ecclesiae eiusque legibus, participes communionis Sanctorum, et meriti coram Deo capaces.

Confirmatio speciali modo iam baptizatum roborat virtute Spiritus Sancti et militem Christi pro certamine huius vitae constituit.

Eucharistia est sacramentum quo panis et vinum, manentibus speciebus, in Christi corpus et sanguinem transubstantiatur. Divino hoc alimento anima fidelis, digne et debite illud suscipiens, nutritur et roboratur.

Poenitentia a peccato post baptismum commisso, fidelem vere poenitentem sanat.

Extrema-Unctio graviter decumbentes allevat, peccati reliquias tollit, et si expedit ad salutem, sanat aegrotum.

Sacro Ordine constituuntur Ecclesiae ministri ad ministranda Sacramenta fidelibus et ad reliqua ecclesiastica munia rite obeunda.

Matrimonium est viri et mulieris maritalis coniunctio inter legitimas personas, individuum vitae consuetudinem retinens. Sacramentum hoc gratiam confert, ut coniuges pie vivant et prolem christiane educant.

Iam vero cum Sancta sancte tractanda sint, ministri Sacramentorum omnimode curent: *Primo*, ut fide-

les mysteriorum Dei dispensatores sint, omni reverentia et pietate, etiam externa, illa administranda erunt conscientia pura, vel saltem a culpa gravi libera. *Secundo*: necessarium omnino est, ut in hoc ministerio habeant intentionem faciendi quod facit Ecclesia, vel actualem et directam, vel saltem virtuales. *Tertio*: in ipsa administratione curent diligenter admissim observare ritus omnes et caeremonias ab Ecclesia praescriptas, nihil omittendo aut alio modo peragendo, proinde lectione rubricarum missalis, ritualis, et probatorum sacrorum rituum expositorum studio debitam notitiam super hisce acquirere procurent. Omnia autem, tum in voce tum in actione ita peragant, ut non minus propriae quam fidelium et adstantium devotioni inserviant. *Quarto*: ea omnia, quae ad administrationem pertinent prorsus munda et integra conserventur, uti ornamenta, vasa, libri, etc. et si ministri acolythi, etc. adstant, hi etiam corporis habitu et vestitu decenter appareant.

TITULUS II.

DE BAPTISMO.

Primum et maxime necessarium inter Sacramenta est Baptismus, veluti ianua ad cetera, quae nondum baptizato conferre nec licet nec prodest. Absoluta necessitas patet ex verbis Christi: (Io. III. 5) « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. » Per Baptismum homo constituitur filius Dei et haeres coeli, et si nullo deinceps peccato maculat conscientiam, moriens statim ad gloriam intrat. Considerata tanta necessitate et dignitate huius Sacramenti haec tenenda et servanda discernimus.

I. — Parochi fideles super hisce instruant eosque doceant absolutam huius Sacramenti necessitatem, ritus explicent, et effectus spiritualis cognationis, quam contrahunt patrini: curent etiam ut omnes, praesertim quorum magis interest uti obstetrices, medici etc., noscant in casu necessitatis, cum advocari sacerdotem nequiverit vel non decuerit, baptismum administrare moribundo: moneant etiam parentes, ne differatur pueri baptismus praesertim si infirmus nascitur.

II. — Baptismi minister ordinarius est primo loco Episcopus in sua Dioecesi, dein parochus in sua parochia, et pro hisce de eorum aut superiorum licentia alii sacerdotes: ac etiam in casu extraordinario diaconus. Et hi omnes solemniter, id est, observatis omnibus in rituali praescriptis, baptizant. Casu vero necessitatis, ubi sacerdos advocari non possit et praesertim in periculo mortis, quicumque, etiam mulieres et pueri, imo haereticus aut infidelis valide baptizare poterit, dummodo vere intendant facere quod facit Ecclesia.

III. — Debet autem parochus super huiusmodi baptismo diligenter inquirere utrum fuerit collatus: quod si dubium manet, sub conditione illud reiteret: semper autem suppleat exorcismos et reliqua in Rituali praescripta.

IV. — Moneat etiam obstetrices etc. ut abortivos, nisi de morte certo et evidenter constet, sub conditione baptizent, et etiam foetum matris mortuae.

Instruant insuper ipsas de baptismo conferendo, quando agitur de partu difficili, in membro infantis, partialiter tantum ad lucem nati.

V. — Infantes expositi semper sub conditione baptizentur etiamsi schedulam praeseferant, nisi de baptismo prorsus constet; absolute autem id fiat ubi

nullum de collato baptismo certum argumentum habetur.

VI. — Ubi baptizatus quis fuerit ab haereticis, diligenter inquirendum erit super materia et forma adhibita, et si de hoc non constet absolute, sub conditione baptizetur; excepto tamen casu necessitatis, v. gr. in periculo mortis, praevis consulatur Ordinarius.

VII. — Ad baptizandum adhibeatur aqua naturalis, solemniter in hunc finem benedicta, quod de ordinario non fit, nisi in Sabbato Sancto et in vigilia Pentecostes iuxta ritum in Missali praescriptum. Si alia die extraordinaria, iusta et rationabili causa benedictio fontis baptismalis fieri contingat, adhibeatur formula minus sollemnis in Rituali praescripta.

VIII. — Fons baptismalis de ordinario non habeatur, nisi in Cathedrali et parochialibus ecclesiis. Propter locorum distantiam et populi commoditatem, poterit etiam in succursali vel alio templo haberi, prouti Episcopus statuerit.

IX. — Extra casum necessitatis baptismus non debet administrari nisi in templo et in ipso fonte baptismali, non vero in sacristia, multo minus in oratorio privato, aut in domo. Pro casu extraordinario parochi recurrant ad Episcopum.

X. — Fons baptismalis ponatur in loco convenienti, obserato, decenter ornato. Mundities summa ibi observanda, etiam quoad reliqua omnia, vasa, etc. quae requiruntur, imprimis autem quoad ampullas Sancti Olei et Chrismatis, quae fieri debent ex argento, stamno, nikel vel alia materia incorruptibili, non tamen ex vitro, Sanctum Oleum et Chrisma singulis annis debet renovari, neque in benedictione fontis in Sabbato Sancto adhibeatur antiquum si novum in Coena

Domini benedictum potest haberi. Accepto autem novo, antiquum comburatur. Quod si anni decursu defecerit Sanctum Oleum, poterit oleum non benedictum, minori tamen quantitate, superaddi: et simile modo aqua in fonte baptismali.

XI. — Adulti ad baptismum non admittantur nisi sufficienter fidem edocti; quod si baptismum non nisi sub conditione conferendum fuerit, praemitti ei decet confessionem sacramentalem, et absolutio sub conditione subsequi debet.

XII. — Nomina non nisi Sanctorum in martirologio Romano inscripta baptizandis imponantur; observantia erga Sanctissimum nomen Iesu abstineant Parochi ab hoc nomine imponendo. Nam « in nomine Iesu omne genuflectatur coelestium, terrestrium et infernorum. » (Ad Philip. II. 10). Nomina autem gentilia aut ex novellis excerpta aut quacumque ratione vel ridicula vel inconvenientia minime imponant.

XIII. — Antiqua Ecclesiae consuetudine baptismo adstant patrini: unus vir altera mulier esse possunt; sed absolute prohibitum est ut plures quam duo adhibeantur; sufficit tamen unus vel vir vel mulier. Ad hoc munus tamen non possunt admitti neque infames, neque infideles, ceterique omnes in Rituali romano exclusi; ratio patet, patrini enim sunt sponsores pro infante eiusque veluti parentes spirituales, et munere hoc suo obligantur, casu quo mortui fuerint aut negligentes genitores et tutores pueri, in quantum ipsis possibile fuerit, curare in fide instructionem et christianam educationem pueri in baptismo ab illis suscepti. Quoad ecclesiasticos viros patrini munus non suscipiant, nisi de licentia expressa Episcopi.

XIV. — Librum habeat parochus, in quo per sin-

gulos dies accurate notetur, dies nativitatis et baptismi, nomina baptizati, item genitorum, avorum et patrinoꝝ; adnotando etiam, utrum legitimus aut illegitimus sit.

TITULUS III.

DE CONFIRMATIONE.

Confirmatio est Sacramentum in quo, per sanctam unctionem et impositionem manus Episcopi baptizato datur gratia Spiritus Sancti, et virtus ad fidem confitendam, ut tanquam bonus miles Christi non erubescat se christianum profiteri, et generose pugnet in certamine huius vitae ad gloriae coronam adipiscendam. Quocirca haec Synodus declarat:

I. — Minister ordinarius Confirmationis est solus Episcopus: potest autem confirmandi facultas a Summo Pontifice etiam simplici sacerdoti committi.

II. — In qualibet aetate hoc Sacramentum recipi potest; semel vero tantum, uti Baptismus et Ordo, quia ut ista duo indelebilem characterem militis Christi, animae imprimunt.

III. — Parochi est fideles docere praestantiam huius Sacramenti, eius naturam et fructus et debitam praeparationem, quae duplex erit: *a*) pro infantibus et parvulis, ut mundi prorsus et decenter vestiti, propter reverentiam erga Sacramentum offerantur a parentibus similiter decenter vestitis: *b*) pro adultis, ut praeter corporalem praeparationem, curent imprimis animum praeparare ut non accedant nisi in statu gratiae, quae licet per contritionem obtineri possit, securius et facilius tamen per sacramentalem confessionem acquiritur.

IV. — Curet etiam ut decoratione templi et ceteris ad id facientibus, fidelium et imprimis confirmandorum mentes ad veram devotionem et reverentiam erga Sacramentum disponantur; moneat insuper ut inde ab initio functionis adsint in templo, et summa modestia ac pietate attendant, nec ante acceptam ultimam Episcopi benedictionem discedant.

V. — Patrini qui a patrinis baptismi diversi esse debent et iam confirmati sint vir unus pro masculo, mulier una pro foemina. Qui iure ecclesiastico non potest esse patrinus baptismi, neque pro confirmatione admittatur. In Confirmatione dexteram imponant patrini super humerum dextrum confirmandi, Clerici non nisi de licentia expressa Episcopi munus patrini admittant.

VI. — Parochus a singulis recipiat schedulam, in qua notentur nomen et cognomen confirmandi; item parentum et patrini vel matrinae. Haec omnia describantur in libro seu registro in archivio parochiali conservando.

TITULUS IV.

DE EUCHARISTIA.

Omnibus quidem Ecclesiae catholicae Sacramentis, religiose sancteque tractandis, magna et diligens cura adhibenda est; sed praecipue in administrando et suscipiendo SS. Eucharistiae Sacramento, quo nihil dignius, nihil sanctius et admirabilius habet Ecclesia Dei: cum in eo contineatur praecipuum et maximum Dei donum, et ipsemet omnis gratiae et sanctitatis fons et auctor Christus Dominus. Sequentia itaque observari decernimus:

I. — Parochus summum studium in eo ponat, ut qua maxima potest reverentia tractet, custodiat et administret hoc Venerabile Sacramentum, atque hoc suo exemplo dein etiam frequenti admonitione populum sibi commissum excitet ad adorationem et cultum et susceptionem dignam et frequentem Sacramenti.

II. — Ad hoc diligenter fideles instruat circa veram et realem Domini Nostri sub speciebus panis et vini praesentiam; de eiusdem virtute et effectibus mirabilibus; de humili reverentia simul et confidentia et amore filiali, quo ad eum accedere, eum adorare et imprimis eum in communionem recipere debent.

III. — Ne omittat illos monere de necessaria ad hoc praeparatione animi per veram de peccatis contritionem, per sinceram confessionem et emendationis propositum. Dein identidem in memoriam eis revocet obligationem, saltem semel singulis annis tempore paschali communicandi, item ante mortem per modum Viatici. Excitet autem illos, ut ne contenti sint tantum strictissime huic legi Ecclesiae satisfacere, sed ita vivere studeant, ut saepius per annum in praecipuis saltem solemnitatibus communicare fructuose valeant. Neque praetermittat fidelibus inculcare, ne post communionem negligant debito modo, pro insigni beneficio gratias agere et se et necessitates suas Domino commendare.

IV. — Quod si quis publice infamis et notorius scandalosus praesumpserit, non sublato scandalo, ad communionem accedere, sacerdos recordetur dictum illud: « nolite date sanctum canibus », et observet quae pro tali casu fieri mandant sacri canones.

V. — Primis Ecclesiae temporibus, uti legimus in Actis Apostolorum, summa fuit aviditas fidelium Cor-

pus Christi suscipiendi, et quotidie, in quantum possibile ipsis erat in hunc finem conveniebant; et novimus etiam ex historia sollicitos fuisse fideles sub hoc respectu toto tempore persecutionum. Postea tamen, inde a fine saeculi quinti, magis et magis zelus et devotio christianorum imminutus est. Hinc saepius ab illo tempore occurrunt monita, donec tandem in Concilio Lateranensi IV (an. Dom. 1215) lata fuit lex: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens ad minus in Paschate Eucharistiae Sacramentum. Alioquin vivus ab ingressu ecclesiae arceatur, et moriens ecclesiastica careat sepultura. » Et haec lex dein etiam a Conc. Trident. (sess. XIII, can. 9 et sess. XIV cap. 5, can. 8) rata habita est et expresse confirmata. Poenae autem interdicti et privationis ecclesiasticae sepulturae sunt ferendae sententiae.

Hanc igitur obligationem gravissimam, singulis saltem annis, initio temporis quadragesimalis, parochus in memoriam revocet fidelibus, eamque explicet; deinde successivas instructiones agat de iis omnibus quae requiruntur ad confessionem bene peragendam: de examine, exponendo mandata; de contritione excitanda, proponendo veritates fidei super novissimis, et narrando passionem et mortem Christi Domini, qui tanta sustinuit, ut non moriantur peccatores, sed ut convertantur et vivant; de accusatione peccatorum sincera, cum verae emendationis proposito; de poenitentia pro peccatis agenda; de restitutionibus faciendis. Hisce instructionibus dispositos ad confessionem peragendam, similiter praeparet ad communionem, excitando fidem

in Deum vere sub specie panis latentem, spem et charitatem in Salvatorem et confidentiam in eius misericordia infinita. Tempus Paschale pro hac Provincia, iuxta privilegia Americae concessa, extenditur a feria IV cinerum, usque ad totam Octavam festi Corporis Christi.

VI. — Confessio Paschalis, uti ceterae, fieri potest cuicumque sacerdoti approbato. Per annum etiam fideles omnes poterunt communionem accipere in quolibet ecclesia publica, sive intra Missam sive extra. Sed communio paschalis, ut praeepto Ecclesiae satisfiat a quolibet fidei accipi debet in propria ecclesia parochiali.

Ab hac lege, i. e. quoad locum, excipiuntur: *a*) iure canonico, peregrini, vagi, advenae, quique iusta de causa a propria paroecia absunt; nam si in fraudem legis abfuerint minime liberi manent, neque satisfaciunt praeepto; *b*) valetudine infirmi, in lecto decumbentes; *c*) qui privilegio S. Sedis excepti sunt, et etiam in Collegiis alumni, ubi concessio ad illos extenditur; *d*) quicumque ab Episcopo tamquam parochi totius dioecesis, intra illam excipiuntur, uti v. gr. qui in seminariis degunt, etc., *e*) illi, qui a proprio parochi, iustam ob causam, eximuntur, et qui de manu parochi sui, extra paroeciam communicant. Si paroecia plures pagos complectitur, parochus tempore paschali in singulis saltem maioribus, aut longius a centro dissitis, aliquot dierum spatium degat, ut omnes possint illic ad confessionem et communionem admitti.

VII. — Quoad aetatem praecisam eorum, qui accedere tenentur ad Sacramenta confessionis et communionis, legem Ecclesia non statuit. Pendet hoc a cuiusque pueri dispositione, Communiter tamen circa

aetatem septem annorum plus minusve sufficienter formati habentur, ut distinguere valeant bonum et malum et etiam in grave incurrere peccatum: ideoque cum ad hanc aetatem perveniunt, tenentur praeepto annuae confessionis. Ad communionem autem maior discretio requiritur, ut sciant nempe distinguere inter cibum et cibum, quod generatim in nostra Provincia habetur in decimo circiter aetatis anno: hoc tamen relinquatur iudicio confessoris una cum decisione parochi.

VIII. — Uti tota deinceps vita magna ex parte pendet a formatione quam in tenera illa aetate puer acceperit, in particulari hoc verum est de confessione et communionem ad quam prima vice admittitur, imo saepe ex illa provenit evolutione veluti naturali sors hominis pro aeternitate. Omni modo proin eo dirigatur actio parochi, et primo quidem curet ut parvuli acquirant cognitionem sufficientem doctrinae christianae, sive domi, sive in schola, et parentum ac magistri zelum stimulet et dirigat. Dein appropinquante iam tempore, vel ipse vel si impediatur, vicarius aut alius sacerdos, per temporis spatium sufficiens, in specie instruant pueros circa ea omnia quae spectant ad duo illa sacramenta, quae cum sufficienter noverint, in quantum fieri potest, per aliquot dies praeparet illos exercitiis spiritualibus eorum aetati accommodatis, ad confessionem, aut communionem, aut utramque. Seligat autem eam anni partem, in qua cetera onera parochialia minus premant, ut per istos dies totum se dedicare pueris, et in specie debitum tempus eorum confessionibus audiendis tribuere valeat. Poterit autem, si ita sibi videbitur Adventum pueris et mensem Marianum puellis dedicare. Die dein conveniente statuto, solemniori modo, et templo festive decorato celebretur Missa,

in qua ad communionem pueri admittantur, et convenit ut omnes pueri paroeciae eadem die admittantur, et parentes, ut adsint, invitentur. Ante communionem, prout cor dictaverit, alloquatur pueros, eorum fervorem excitans, et ad actionem adeo solemnem iis praeiens, per actus fidei, caritatis, contritionis, etc. Dein convenienti hora post meridiem fiat allocutio ut gratiam acceptam ne perdant et gratos se ostendant. Poterit adiungi, ut multis in locis fit, renovatio promissionum quae in baptismo sponsor emisit, consecratio Sacratissimo Cordi Iesu, Beatae Mariae Virgini, vel alia quae pro circumstantiis magis opportuna fuerint, ut deinceps per totam vitam huius diei et gratiae acceptae, memoriam conservent. Sed imprimis, ne fructus huius primae admissionis ad sacramenta pereat, invitet et cogat parochus, ut per unum aut duos annos, saltem, singulis Dominicis aut alio die, si melius conveniat, pueri isti assistant catechesi ulteriori, ut solidiorem doctrinam acquirant, et in bene coeptis perseverent; atque in hunc finem identidem illos ad sacramenta invitet, et dies ad hoc illis statuatur.

IX. — Post communionem paschalem, primum locum certe obtinet communio moribundi, seu Viaticum; scilicet gravis obligatio est parochi, ut, quantum ex ipso fuerit, nullus de grege suo ex hac vita Viatico non accepto discedat; graviter enim infirmi sub peccato tenentur illud petere, et quidem ex praecepto divino iuxta communem sententiam. Ideo qualibet hora sive diei sive noctis paratus sit parochus ad confessionem infirmi excipiendam, et ad SS^mum Sacramentum ei deferendum. Curet autem iuxta monitum Ritualis romani, ne ad indignos aut scandalosos, nisi prius scandalum reparetur, deferat.

Curent parochi decentem habere currum ad Viaticum infirmis deferendum, ubi fieri potest. Defectus tamen currus minime allegari potest ab ipsis, ut ratio ad se eximendum ab onere strictissimo Viaticum deferendi. Proin si currus minime haberi potest adhibeatur sedes gestatoria cooperta; sin autem, occulte etiam deferatur, quum in praesentibus adiunctis aliter fieri non possit. Sciant insuper Viaticum minime denegari posse infirmis rure degentibus vel in minimis oppidis. Sciant etiam ad hoc ab Episcopis vi facultatum Solitae dictarum ipsis privilegium altaris portatilis subdelegari, quando necessitas id postulet.

In periculo mortis facilius communio dari poterit etiam iis pueris, qui secus propter defectum aetatis non admitterentur: praevio tamen examine super scientia necessaria et intelligentia, ut saltem distinguere valeant inter cibum communem et sacramentum, et possint contritionem elicere de iis in quibus se male egisse cognoscere possint. Solet autem talibus divina providentia particulari gratia adesse.

Infirmitas in carcere detentis Viaticum denegari minime debet. Reis autem ad mortem damnatis, si aliter fieri non possit, ad modum Viatici, etiam non ieiunis permitti communio potest. Nec difficilem se ostendat parochus, nec renuat eos qui, Viatico iam accepto, diuturna infirmitate in lecto detinentur, identidem confessione et communione solari et reficere.

Moneat autem fideles, qui ad infirmos ipsum vocant, ut curent domum et cubiculum aegroti decenter mundare et pro circumstantiis ornare propter SS. Sacramenti reverentiam.